

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthviani, Natione Bavari,
Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

De D. Ioannis Baptistæ orto, vita, præconio & inuocatione, Hymnus XLIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

Vitæ medicina,
Radix innocentia,
Veniam propina,
Sedes sapientia,
Cælica Regina.
Aue vitæ pabulum,
Fons dilectionis,
Pudoris signaculum,
Vas electionis.
Gloriæ spectaculum,
Rubus visionis,
Fœderis Oraculum,
Thronus Salomonis.
O sacra puerpera
Venit lucerna,
Nardus odorifera,
Gratiæ pincerna.
Surge, veni, propera,
Regina superna,
Me Christo confœdera,
Me semper gubernata.
Aue super agmina,
Cœli sublimaris,
Angelorum Dominus,
Virgo singularis
Cor meum illumina,
Fulgens stella maris,
Et ab hostiis machina
Semper tuearis.
O vitæ remedium,
Puella decora,
Dulce refrigerium
Cœlitus irora.
Dulcem tuum filium
Pro me nunc exora,
Et peccatorum omnium
Veniam implora, Amen.

Versus.

Dulcis amica Dei, rosa vernans atque de-
cora

Responsorium.

Memor es̄t̄e mei, dum mortis venerit
hora.

De D. Ioannis Baptiste ortu, vita, praconio,
& invocatione,

Hymnus. XLIV.

Ioannes Verbi præco
Clausus in utero sacro
Gaudebas in Domino
Fac nos tibi congaudere,
Simulq; tecum videre
Christum sine termino.
Gaude, nam tu nominaris
Et ut Christus nunciaris
Ab eodem Angelo.
Tunos Christo fac conformes,
Sic ut simus Deiformes,
In futuro seculo.
Gaude, nam de te infante
Nato, plaudit plebs, ut ante
Gabriel prædixerat.
Post hunc plausum temporalem,
Nobis plausum perennalem
Da, qui cuncta superat.
Gaude, quia sit soluta
Lingua patris prius muta,
Quando circumciditeris.
Nostras linguis fac laxari,
Nunc per laudem & lætari
Donec te reddideris.
Gaude, quia prophetauit
De te pater, cum cantauit
Benedictus Dominus.
Christus à nobis laudetur
Isto cantu, confirmetur
Mundus æger protinus.
Gaude tenens strictum ritum
Quo ad victimum & vestitum
Habitator te eremis.
Carnis vilis voluptatem
Per sanctam sobrietatem
Fac in nobis reprimi.
Gaude tantæ sanctitatis,
Quod in mulierum natis
Maior te non fuerat.
Tu amice Christi chare,
Nos cum Christo fac regnare,
Qui te talē fecerat.
Gaude, dixito monstrasti
Iesum, quem tu baptizasti,
Qui nos emit sanguine.

kkk §

Tua

Tua nos accende prece,
Victorum pulsa fece,
Omniq; peccamine, Amen.
D. Ioannis Apostoli & Evangelista vita,
laudes sanctitatemq; succinctum
explicans,

Hymnus. XLV.

Ave puer magni status,
Qui Ioannes es vocatus,
Filius tonitruis.
Zebedæi quidem natus,
Sed à Deo adoptatus
Eiusq; conspectui.
Moribus & vita gratus,
Et culmen apostolatus
Affecutus ardui.
Esto noster aduocatus,
Nenos superent conatus
Hostium assidui.
Aue Christi singularis
Cultor, & familiaris
Amoris obsequio.
Qui hoc nomine vocaris,
Gratiazq; demonstraris
Magnum priuilegio.
Tu virtutibus præclaris,
Et doctrinæ singularis,
Prædictus eloquio.
Nos in fluctibus amaris
Huius procellofi maris
Præserua naufragio.
Aue magni vir affectus,
Qui præ cæteris dilectus
Magis es discipulus
Nam in coena supra peccatum
Iesu cubans es refectus
Fontis virtus riuius.
Quos & postea directus,
Doctor sedulus effectus
Effudisti populis.
Nostros corrigere defectus,
Et virtutum da profectus
Semper tuis famulis.
Aue miri lux splendoris,
Ardens intus atq; foris
Iugiter ut facula,

Flamma diuini amoris,
Quod & tui probant oris
Amorosa iacula.
Qæ incendium amoris
Prebent nobis & erroris
Auferunt umbracula.
Nos inflamma cunctis horis
Charitat, ne liuoris
Deformemur macula.
Aue superos transiens,
Et ad Deum vsq; tendens
Aquila præcognitum.
Cui es in virtute splendens
Sicut Sol, in quem intendens
Non laedis intuitum.
Tu qui semper es extendens
Alas tuas & defendens
Pullos per circuitum,
Sis protector condescendens,
Ne disperdat lupus frendens
Gregem tibi subditum.
Aue flos Apostolorum,
Vitam ducens Angelorum
In hac carne fragili.
Princeps martyrum sanctorum,
Speculumq; confessorum,
Pastor carens simili
Suscitator mortuorum,
Et languores infirmorum
Curans arte nobili.
Ne sis immemor tuorum
Pie pater filiorum
In hoc mundo flebili.
Aue gratia pincerna,
Rigans mentium interna
Sacro verbi poculo.
Quem Christus virtus superna
Cura commissa materna
Crucis in patibulo
Honorauit, in lucerna
Fugans criminum veterna
Corde sub incredulo.
Pietate nos paterna
Culpæ seruies à cisterna
In hoc nequam seculo.
Aue nobilis Propheta,

Cui

